

UM  
RUM  
E  
EINZIA  
UM







DIVITIARUM  
EVANGELICARUM  
FESTIVALIUM

*Disquisitio III.*

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Hallensis

Rectore

*Respondente,*

AUGUSTO WOLFFIO

Annæbergâ-Misnico.

*In Festo Stephani.*

*A. O. R. cl. l. c. III.*

---

HALLIS SAXONUM.

*Prelo Hæredum Melchioris*

*Oelschlegelij.*





VIRIS

*Amplissimis, Consultissimis, Cla-  
rissimis, ut & in omni politioris do-  
ctrinae genere versatissimis*

Dn. THOMÆ GENSELIO Reip. Annaber-  
gensis Consuli Gravissimo, Patrono me-  
ritissimo.

Dn. GEORGIO SCHMIDIO eiusdem Reip.  
Consuli Spectatissimo, Patrueli deside-  
ratissimo, Tutori unice atque unice co-  
lendo.

Dn. CHILIANO REBENTROSTIO spectatis-  
simi ordinis Metallicorum à concioni-  
bus vigilantissimo, Propatri suo nullo  
non honoris & observantiae magmento  
æviternum excipiendo.

Dn. M. GEORGIO ARNOLDO Scholæ An-  
næbergensium Rectori meritissimo,  
Poetæ Laureâ Cæsariâ conspicuo, Præ-  
ceptoris suo omni honoris cultu ætatem  
prosequendo.

D. D. D.

RESPONDENS.





ANALYSIS  
 EVANGELII  
 IN FESTO STEPHANI.

*Matth. 23. à v. 34. usq<sup>ue</sup> ad fin.*

Περὶ αὐτοῦ.



*M*oses fidelis Dei servus in omni  
 domo ejus, uti habetur Hebr. 3, 3.  
 morti jam vicinus populum ad-  
 monet de præteritis ob eximia be-  
 neficia exhibita, de futuris ob vitia malis iti-  
 dem & temporalibus & æternalibus Deut. 32,  
 23. & seqq. Christus filius in domo sua Hebr.  
 3, 6. aq<sup>ue</sup> morti vicinus monet de præteritis  
 & futuris, uti uberius illud ipsum ostenditur in  
 periocha Evangelica.

THESIS I.

In qua Scribarum & Phariseorum  
 crudelitas, quam exaggerat misera mini-  
 strorum



strorum Ecclesie qualitas. v. 34. In quo amplificat summationem per connexionem: propter hoc. Quia nimirum antea in fine precedentis pericopes dixerat: *Estis serpentes & viperae, quarum proprium est nocere & occidere. Ideoq; quod sequitur etiam futurum. Ut discamus, nihil frustra positum, & omnia scripta dictaq; in nostram utilitatem.*

2. Et per declarationem, ratione subiecti: Ego mitto. Ut ostendat se esse illum ipsum verum & aeternum Deum qui mittit Et quamvis apud Lucam in tertia persona loquatur, dum in illo convivio ex illius sermone captarent aliquid Luc 11, 54. Hic tamen in prima persona: ut ostendat se ipsum esse, quem Salomon sapientie nomine denotat Proverb. 10, 13. 8, 22. In presenti autem loquitur quia paulo post futura erat missio. Ut discamus apud Deum esse mittere, & quod semper miserit & miserurus sit. Ne itaq; currant, sed expectent, usq; dum mittantur secundum illud ipsum Hebr. 5, 4. Rom. 10, 15. Jer. 23, 21. siquidem, quod habet canon. dist. 1. quaest. 6. qui ultro ambit, aut ultro se ingerit, est procul dubio repellendus.

3. Respectu objecti: Ad vos. Nempe Scribas & Phariseos: Nam eos alloquitur. *Intelligit autem*



43

autem consequenter omnes. Ut discamus, Deum semper mittere aliquos, ut colligat sibi Ecclesiam in his terris duraturam usque ad consummationem seculi Matth. 16, 13.

4. Explicatim de subjecto quod de futuris: Prophetas. Nam Prophetas nomen proprie & principaliter tribuitur illis viris doctioribus, qui post constitutum Sacerdotium extraordinarie ad repetitionem promissionis de Messia excitati quique de futuro predixerunt. In N. T. ἑξουσιῶς tribuitur Christo Matth. 21, 11. Deinde in V. T. Prophetis Luc. 16, 29. Denique etiam illis, qui in principio N. T. donis predicandi futura instructi Act. 11, 7. 1. Corinth. 12, 28. Ephes. 4, 11. uti sunt verbi divini pracones 1. Corinth. 14, 29. Ut discamus Deum mittere Prophetas, quales post confirmatum Evangelium non amplius mittit, qui futura predicant, quia ultimo locutus est per filium, Heb. 1, 1.

5. De praesentibus: Tum sapientes. Per quos intelliguntur & Apostoli, sicut manifeste apparet ex Luca, ubi Prophetas & Apostoli conjunguntur. Et Paulus se propterea sapientem vocat. Dicuntur autem, habet Chrylostomus, quia per divinam revelationem

D 2



tionem divinatorum mysteriorum, quae est vera  
 ac caelestis sapientia, in summo gradu eam ob-  
 tinuerunt. Et quia sapientiā loqui poterant in-  
 ter perfectos 2. Cor. 3, 10. Et sicut Moses vocat  
 sapientes, quorum opera utebatur & populus  
 regebatur Exod. 31, 3. Ita etiam Christus opera  
 Apostolorum in fundamento Ecclesiae N. T. po-  
 nendo usus est 1. Corinth. 3, 10. Ephes. 2, 20.  
 Apoc. 21, 14. Ut discamus ad docendum non  
 esse vocandos fratres ignorantiae, sed sapientes.  
 Unde habetur distinct. 23. Qui Episco-  
 pus ordinandus, antea examinatur, si natura sit  
 prudens, si docilis, si moribus temperatus, si vita  
 castus, si semper in suis negotiis cavens, si so-  
 brius, si literatus, si in lege Domini instructus, si  
 in scripturarum censibus acutus vel cautus, si  
 in dogmatibus Ecclesiasticis exercitatus. Hinc  
 etiam Salvator in medio Doctorum fuit, au-  
 diens & respondens eisdem.

6. Tum Scribas. Per quos intelligun-  
 tur Doctores non immediate vocati, sed media-  
 te, quos Christus vocat doctos ad regnum cae-  
 lorum Matth. 13, 52. qui sunt pastores & docto-  
 ras Ephes. 4, 11. Sunt enim distinctae appella-  
 tiones, quia distincte etiam sunt gratiarum  
 genera, & quia alias distincta sunt Spiritus san-  
 cti charismata 1. Corinth. 12, 4. Ut discamus  
 diver-



diversos etiam esse gradus in Ecclesia, in qua debent esse sapientes, Propheta & Scriba, quo verbum recte secetur 2. Tim. 2, 15. ne sint inanes 2. Corinth. 15. ult. ne vacui revertantur, sed quaecumq; Dominus voluerit, faciant, ut prosperentur in his, ad quae sunt missi Esa. 55. 11. primum attendere gregi Act. 20, 22. adificare 1. Corinth. 14, 26. charitatem & pacem sectari 2. Timoth. 2, 22.

7. Demonstrat quoad majus: Et ex illis occidetis. Et ponitur adversative quasi diceret: ego ex benignitate mittam vobis Doctores, sed vos non solum eos rejicietis, verum etiam occidetis. Ita Stephanum lapidarunt Act. 7, 58. ita Jacobum gladio necarunt Act. 12, 2. Non solum formam juridicialis processus, sed etiam absq; ullo iudicij processu. Ita usurpatur verbum Matth. 21, 35. Act. 21, 31. Et quis nescit quomodo Esaias ferram lignea dissectus est? Urias a Jojakim gladio percussus Jer. 26, 23. Zacharias interfectus 2. Par. 42, 22. Quin omnes praeter Johannem Evangelistam, Apostoli extincti sunt, uti docent decem illae praecipuae persecutiones. Ut discamus sanguine fundatam esse Ecclesiam, & sanguine finem habituram, Christianorumq; esse non trucidare, sed trucidari.



8. Et crucifigetur. Quemadmodum Christus crucifixus est. Ita Simon Apostolus, uti testatur Egesippus l. 3. c. 2. de everfione urbis Hierosolymit. Quod supplicij genus fuit atrocissimum, uti testatur Apostolus Phil. 2. 8.

9. Minus : flagellabitur in synagogis vestris. Uti id, experti sunt Apostoli in Synagogis Hierosolymitanis. Expertus Paulus 2. Cor. II, 24. 25. In synagogis verò flagellabant, ut significarent, non ob crimina civilia, sed ob doctrinam & confessionem fieri.

10. Et persequemini de civitate in civitatem. Non permittetis ut libere prædicent: Non concedetis ipsis docendi spatium, uti stud. completum est in discipulis in genere Act. 8, 1. 10, 29. Et in Paulo Act. 9, 25. Damasci; Philippis Act. 16, 39. Thessalonica Act. 17, 10. Corinthi Act. 18, 12. Hierosolymis Act. 22, 22. Continentur autem sub his omnes reliquæ injuriæ. Ut discamus verbi ministros esse talibus expositos. Nullus enim Dei servus, habet Augustinus Psalm. 59. in præfat. est sine persecutione. Et cogitent, quod Chrysost. epist. 3. ad Cyriac ait. Siquidem vult me Regina exsulem agere, agat in exsilium: Domini est terra & omnis plenitudo ejus; si vult secare, secet, idem passus est Esaias; si vult in pelagus me mittere,

Jona



*zona recordabor; si vult in caminum injicere, idē tres pueri passi sunt: si me feris vult objicere, objiciat. Danielis in lacu leonibus objecti reminiscar; si me lapidare vult, lapidet me, sociū habeo protomartyrem; si vult substantiam auferre, auferat, nudus exivi ex utero matris mee, ait Nazianzenus.*

11. Tum Judæorum partim pœnæ gravitas, v. 35 In quo consecutio ponitur. Ut veniat super vos. Illud enim ὅτι οὐκ non significat causam finalem & intentionem, sed eventus executionem. Neq̄ enim ideò occiderunt Prophetas ut pœnas ejusmodi ad se traherent, sed occisio Prophetarum fuit causa meritoria pœnarum. Quia verò occiderunt, ideòq̄ talia evenerunt, ut illud usurpatur Matth. 5. 16. Non enim debemus justitiam facere, ut videamur ab hominibus Matth. 6, 1, sed consequens esse debet Rom. 3. 4.

12. Et additur objectū ad rei explicationē & confirmationē: super vos. Hoc est contra vos, juxta meritum vestrum, sicut particula ἵνα usurpatur Matth. 26, 25. Marc. 3, 25. Rom. 1, 18.

13. Et distributio pœnarum in genere, per denominationē reatus: Omnis sanguis. Hoc est omnis vita per sanguinis effusionē vio-



lentam sublata; quemadmodum Scriptura ita loquitur Levit. 20, 9. Et Gen 9, 5. ubi dicitur, requiram sanguinem vestrum, id est, poenas irrogabo ob effusionem sanguinis vestri, uti & ipsi Judaei clamaverunt Matth. 27, 25. Dicitur autem omnis sanguis, siquidem impij sunt successores praedecessorum suorum impiorum, dum eorum impietatem sectantur. Ut discamus cadere nobis, quia praedecessorum suorum poenam manet posteros.

14. Et per descriptionem, quoad qualitatem: Justus. Neq; enim ille vindicabitur, qui jure effunditur, dum Deus mandavit, ne impiorum sanguis effundatur. Intelligitur itaq; sanguis Prophetarum, uti interpretatur Lucas, ubi nomen Prophetarum & justorum pro synonymis habentur, uti etiam usurpatur Gen. 20, 7. Justitia autem h. l. intelligitur tum imputativa, tum inchoativa. Alius enim absolute nemo justus.

15. Quoad gravitatem: Effusus super terram. Quia homines plerunq; ita interficiuntur, ut terra aperiat os suum, & sanguinem hauriat Gen. 4, 11. In graco est praesens pro praeterito. Loquitur enim Christus non solum de sanguine, quem Scribae & Pharisei tunc temporis effundebant, sed etiam quem veteres effunde-



fuderant à condito mundo, quamprimum ho-  
mines habitare cœperunt, uti interpretatur  
ipse Lucas, dum inquit: à condito mundo.  
Ideoq; discant persecutores abstinere manus:  
Omnis enim sanguis vindicatur.

16. In specio, quoad terminum à quo.  
A sanguine Abelis justis. Ut qui primum oc-  
cisus est à Cain. Neq; enim exclusive ponitur,  
quasi omnis sanguis post Abelem interfecti,  
sed inclusive, quia scopus Christi, quod requi-  
rendus sit sanguis omnium justorū. Siquidem  
primus fuit Cain, qui sanguine fratris manus  
maculare non fuit veritus. Unde omnes, qui  
Prophetas & pastores præter meritum occidunt  
in via Cainis incedere dicuntur in Ep. Judæ  
v. 11. Justus autem dicitur & hic, quia fide in  
promissum Messiam fuit justus Hebr. 11, 4. Et  
quia opera ejus fuerunt justa & DEO grata  
Genes. 4, 8. uti interpretatur Hieronymus in  
cap. 20. Matth. & quia præter omne meritum  
fuit occisus à fratre.

17. Et terminum ad quem, quoad ti-  
tulum: Usque ad sanguinem Zachariæ Ba-  
rachia filij. Per quem intelligitur secundum  
Hieronymum in cap. 23. Matth. Augustino  
lib. 2. contra adversarios legis c. 5. Ille Sacer-  
dos, cujus mentio fit in 2 Paralip. 24, 20. Aliq;



enim non sunt inter templum & altare interfecti. Et quamvis dicatur in loco allegato, filius Josada, nō obstat, cum potuerit esse binominis. Quemadmodum David Jesse & Isai dicitur; & Simon Petrus Bar Jona Matth. 16. 17. Licet etiam in quibusdam codicibus in presenti habeatur, tamen in quibusdam in praeferito legitur. Et Christus etiam gentem Judaicam considerat ut unicū corpus. Est enim unum genus, habet Augustinus, una conspersio, una massa sibi invicem succedentium. Et licet etiam post ipsum multi fuerint interfecti, tamen voluit huius meminisse quia 1. ultimo loco in Scriptura authentica cōmemoratur occisus; & quia 2. voluit Christus duobus insignibus exemplis complecti duo tempora, quorum alterum ante legem, alterum sub lege; & quia 3. expresse restatur Scriptura, quod sanguis eorum ad cœlum clamaverit, de Abele Gen. 4. 10 de Zacharia 2. Paralip. 24. 21. quibus verbis usus est fere Lucas; & deniq; quia 4. uti Abel pastor illiteratus, ita Zacharias doctus; Abel in agro, Zacharias in templo; Abel pastor ovium, Zacharias sacerdos Domini. In utroq; designatur mors Christi summi sacerdotis & summi pastoris, quem itidem in templo lapidare veluerunt Joh. 8. 59. 10. 31.



51

18. Quoad locum: Quem occidistis inter templum & altare. Ubi cades illius fuit perpetrata. Ideoq; pater Johannis Baptista esse non potest; siquidem de eo non legitur quod occisus sit, dum Evangelistæ tacent, uti monet Hierony. in c. 23. Quod verò de scripturis nō habet autoritatem, eadem facilitate contemnitur, quā probatur. Et quia facile potuisset nominari, ut sermo esset vehementior propter maximam Joh. Baptista in populo Judaico autoritatem, uti notat Estius. Quin, si Zacharias fuisset interfectus, Johannes non fuisset in tanta autoritate. Neq; causa sunt probabiles, uti multis declarat Gerhardus in Harmonia part. 2. c. 158.

19. Et pœnæ propinquitas. v. 36. In quo asseveratio: Amen. Quæ particula vehementem asseverationem denotat, dum voluit Christus auditorum animas excitare, & de eventu certò secuturo eos confirmare, nisi rebus suis aliter consulant Matth. II. 20. Quemadmodum & Lucas per τὸ ἀληθῶς exponit c. 12. 44. Non ergò est optantis, uti sumitur Deut. 27. 15. Sap. 28. 6. sed est prædictionem confirmantis.

20. Et attestatio, à personæ dicentis conditione: Dico vobis. Ipsa veritas est: & fallere ne-



re nescit, quiq; antea dixit : Ego mitto ad vos.  
 Ut discamus potentiam & veritatem assertio-  
 num Christi.

21. Et à totius sententiæ repetitione,  
 quoad effectum : Venient hæc omnia. Non  
 tam intelligit persecutiones, flagellationes & ca-  
 des Apostolorum quam persecutionum ac cadi-  
 um istarum ultiones, quæ sunt totius gentis Ju-  
 daica deletio & extirpatio. Ut discamus mi-  
 narum divinarum certitudinem.

22. Quoad objectum : super genera-  
 tionem istam. Seu super homines tunc viven-  
 tes. Est enim demonstrativum ; Et generatio  
 alius denotat ætatem seu tempus vite, quo ho-  
 mo peregrinatur in hoc mundo, uti usurpatur  
 Gen. 5, 1. Ut discamus vaticiniorum Christi  
 veritatem. Quod enim prædixit, illud etiam  
 adimplevit. Namq; uti fidelis est in promissio-  
 nibus, ita justus in animadversionibus.

23. Sic de Phariseorum & Scribarum  
 crudelitate directè : sequitur de Judæorum  
 & omnium pœnarum gravitate. Ubi est  
 partim stupendæ ingratitude exprobra-  
 tio, v. 37. In quo objectum generale, cujus  
 denominatio per Apostrophem patheticam  
 & emphaticam figuratam per Epizeuxin : Je-  
 rusalem, Jerusalem. Ubi per metonymiam in-  
 telli-



telligit cives Hierosolymitanos sic ut Psal. 147.  
 12. & uti Matth. 11, 20. per Corazim & Ca-  
 pernaum incole intelliguntur, uti Hilarius  
 can. 24. in Matth. explicat, dum inquit:  
 In civitatis nuncupatione habitantium faci-  
 nus ostenditur. Et per Synecdochen, cum Hie-  
 rosolyma fuit metropolis & sedes cultus divini  
 Psal. 122, 3. intelliguntur omnes Iudaei. Quip-  
 pe & alibi destructio secuta. Quamvis Luc.  
 13, 33. dicatur extra Hierosolymam non perus-  
 se Prophetam; tamen illud comparate intel-  
 ligendum, quod maxima pars Prophetarum  
 inibi sit occisa, quia Prophetae non indicaban-  
 tur, nisi iudicio Sanhedrim, qui Hierosolymis  
 residebant; Interim Apostoli etiam fugati ex  
 una civitate in aliam Matth. 10, 23. Et flagel-  
 lati in synagogis.

24. Ut ita per Hierosolymam ceterae quo-  
 que urbes intelligantur: uti per Sodomam in-  
 telliguntur omnes ad regnum Sodomiticum  
 pertinentes Ezech. 16, 48. Soph. 2, 9. Eam ta-  
 men nominavit tanquam regiam, ubi templum,  
 ubi iudicium Sanhedrim, ubi arx Sionis. Et  
 quia in occidendis Prophetis sese ducem pra-  
 bebat reliquis Luc. 13, 33. ubi occisus Zachari-  
 as, ubi Manasses sanguine Prophetarum im-  
 plevit omnia 2. Reg. 21, 16. ubi Christus occi-  
 sus.



sus. Reduplicat vero ad testandam suam dilectionem, inquit Chrysost. Hom. 75. in Matt. dñi inquit: quid sibi vult hæc cōduplicatio? miserentis valdeq̄ diligentis orationis figura est. Et Euthymius in hunc locum: reduplicatio appellationis demonstratio est miserationis, ad exaggerandam ingratitude, & dolorem suum exprimendum. Unde Hieronym. in c. 23. Matth. Plangit Hierosolymam patris affectu, uti & alibi locorum legimus, quod videns eam fleverit. Ut discamus, quàm serio velit hominum conversionem, & doleat ob interitum.

25. Et denotatio ab effectu graviore: Quæ es occidens Prophetas. Seu interfectrix - Greci enim utuntur participiis presentis temporis loco nominum verbalium. Et non in præterito sed in presenti loquitur, dum adhuc, uti olim, coniuauit malitiam. Non dixit, inquit Auctor imperfecti operis hom. 46. quæ occidisti, sed quæ occidis, quasi naturalem consuetudinem habens, uti antea ostensum quomodo fecerit, quod faciat etiam nū mundus.

26. Et à speciali & minori: Et lapidans legatos atq̄ templam. Seu lapidatrix eorum, quem missi. Ut enim & belococcus, ita lapida-



lapidatus Zacharias, quae specialis & ordinaria  
 fuit poena irrogata Pseudoprophetae: & quia  
 ex Prophetis plures lapidati, uti habetur hom.  
 46. in Autore imperfecti operis. Missum ad  
 te Esaiam servastis & servum meum Ieremi-  
 am lapidasti, Ezechielem tractum per lapides  
 excerebrasti. Relativum *ὁ* *ἐ* *αὐτῶν* ponitur  
 h. l. reciprocè, unde in quibusdam codicibus le-  
 gitur *ὁ* *ἐ* *οἱ*. Quae enallage personarum in  
 aliis Scripturae locis occurrit, Act. 7, 6 Luc. 19,  
 9. Ut discamus non esse nocuum si contingant  
 similia. Unde inquit Cyprianus: Memores  
 estote veterum sanctorum, quod nemo eorum  
 deliciis deditus, patientiae corona participes fa-  
 cti, sed omnes per magnas tribulationes progres-  
 si probationem ostenderunt. Modo aequè pro-  
 pter iustitiam patiantur: Saepe enim queritur  
 martyrum gloria, sed non habent martyrum  
 causam. l. 2. contra Gaudentium Epist. c. 12.

27. Praedictum continet tum Chri-  
 sti effectum in genere: quoties volui con-  
 gregare filios tuos. Quia venit filius Dei ut  
 eos, qui dispersi erant congregaret in unum.  
 Joh. 11, 52. Et non dicit aliquoties sed interro-  
 gat quoties? uti etiam Esa. 5, 4. quid est quod  
 ultra debui facere? Et dum congregavit, osten-  
 dit officium suum, quod sit congregans disper-



ses Esa. 56, 8. Ezech. 34, 13. filios verò nominat, quia Hierosolymam comparat matri, more scripturae, qua cives liberos vocare solet. Ut discamus Christum malle congregare quàm dissipare.

28. Quoad modum in specie: Quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas. Sumta metaphora à gallinis, quibus hoc genus animantis, uti habet Augustinus lib. 1. quæst. Ev. c. 36. magnum affectum in filios habet, & quod difficilius in ceteris animalibus invenies, alis suis filios protegens contra milvum pugnat. Lucas nidum nominat per metonymiam. Atq; ita se gallinam crebro appellat, ait Chrysoſtom. Hom. 75. in Matth. quia uti in incubando sese demittit, ita Christus in nos juvando Phil. 2, 6. 2. In vivificando. 3. In conservando. 4. In curando & cibando. 5. In tutando. Ut discamus serio Deum nos amare, modo etiam ejus vocem glorientem audiamus Psalm. 95, 8. Hebr. 3, 7. Et sub alas nos recondamus, uti habet Augustin. super Psalm. 90. tantùm tu noli inde recedere, ubi audeat nullus inimicus accedere.

29. Et judæorum neglectum: Et vos noluitis. Ubi illud et adversative ponitur. Sed vos noluitis. Quemadmodum autem velle Christi.



Christi completitur non solum affectum interiore, sed etiam actiones exteriores; ita Judaeorum etiam, quia dixerant nolumus regnare hunc super nos Luc. 19, 14. Et consilium Dei sperverunt, recusantes à Johanne baptisari Luc. 7, 30. quia vobis predicationem Evangelij impediverunt. Unde licet Fulgentius lib. 2. de remissione peccatorum c. 2. inquit: Hec dicit Christus ut civitatis incredula malam voluntatem ostenderet, quā insuperabili voluntati divinae resistere frustra nitebatur, cum bona voluntas Dei nec ab eis possit vinci, quos deserit, nec aliquid operari non possis, quod velit; Tamen opponit hic contrariam suae voluntati Judaeorum, ut ita dicam, voluntatē. Quemadmodum etiam praedictum Prov. 1, 24. Esa. 65, 12. Jer. 7, 13. imprimis Matth. 22, 3. Act. 7, 51. Ut discamus ex hominibus esse interitum, 2. Tim. 2, 4. Ezech. 19. Os, 13, 9. Atque ita potest homo Spiritui sancto resistere Act. 7, 51. consilium Dei spernere adversus seipsum Luc. 7, 30. ac seipsum indignum judicare vitam aeternam Act. 13, 46. quod est ex corruptione naturae; Non autem ex suis viribus verbo Evangelij assentiri, quod est ex operatione gratiae. Unde Prosper inquit lib. 2. de vocat. Gent. c. 9. Licet homini insit nolle bonum, tamen, nisi do-

E naturum,



natum, non habet velle bonum, illud contraxit natura per culpam, hoc recipit natura per gratiam.

30. Et pœna corporalis denominatio. v. 38. In quo præmittitur partic. attentionis: Ecce. Quæ est severitatis, h. l. seu certitudinis, quasi diceret: Quia nolulistis ad me congregari toties vocati, ecce attendite quid futurum.

31. Et exponitur: relinquatur vobis domus vestra deserta. Ubi præsens per Hebraicum pro futuro ponitur, uti Matth. 5. 46. Interim non caret emphasi: significat enim mensuram esse completam, & jamjam imminere interitum. Neq; tantum dicit desolabitur, sed desolata relinquatur, dum totalis & finalis devastatio templi, urbis & totius regionis denotatur secundum Prophetam 9, 26. Unde Chrysoft. Hom. 75. in Matth. inquit: Ipse igitur erat, qui etiam superiori tempore continebat eos. Ut discamus tandem, ubi nulla proficiant mina, nulla pœne, sequi panolethriam. Id quod experti Judæi & etiam alij, qui similibus criminibus obnoxij.

32. Et spiritualis præsentia denegatio. v. 39. In quo ponitur efficiens causa: Dico enim vobis. Ubi particula enim confirmare vult predictionem, quasi dicat: Predico vobis



vobis non tantum hoc futurum, sed etiam se-  
quentia. 59

33. Et materia, per remotionem: Non videbitis. Quoad visionem corporalem: hoc est: subtraham vobis meam visibilem & gratiosam presentiam, non fruemini beneficiis meis per verbum in ea oblatis. Ut discas fundeorum cœcitatem, qua adhuc sunt puniti. Christus enim αἰτιολογικῶς hoc subjicit, & causam, cur deserenda sit ipsorum domus, reddit, eòq; scopus totius textus respicit, uti & Matth. 26. 64, illud intendit. Ut discamus, miserrimum esse Christum non amplius videre.

34. Et exponitur tempus: A nunc, usque dicatis. Id quod est tam de passione, quam de ultimo adventu ad iudicium intelligendum. Illud enim, habet Chrysostr. Hom. 75. à modo non solum tempus presens, sed & universum usq; ad passionem tempus denotat. Post modum Apostoli Christum quidem viderunt; at Pharisei & Scribæ increduli non viderunt.

35. Et modus: Benedictus veniens in nomine Domini. Nolentes, volentes me, uti pueri, ita & vos benedictum mundi Messiam cognoscetis. Vnde Hilarius can. 24. in Matth.



in contumacia infidelitatis manentes usq; in id  
 tempus eū non videbunt, donec in nomine Do-  
 mini revertentem etiam in vita infidelitatis  
 confessione benedicent. Vti etiam ad Philip. 2,  
 10. dicitur, quòd terrestrium genu sit flecten-  
 dum. Quamvis involuntariè etiā dicturi Do-  
 mine, Domine, Matth. 7, 22. Excipiamus ergò  
 Christum voce fidei, ne in die iudicij cogamur  
 vel in vii ipsam Dominum nostrum confiteri.  
 Vnde Orig. h. 26. Mar. inquit. Si ex nobis no-  
 luerit aliquis cōgregari sub pennas Christi, sed  
 operib; malis recusaverit congregari sub pēnas  
 ejus, jam non videbit verbum Dei, maxime ex  
 tempore illo, ex quo congregantem illum per  
 singulos dies refugit actu magis, quàm corpore,  
 & tam diu non videbit pulchritudinem verbi,  
 hoc est Christum, donec pœnitens & conversus  
 à proposito malo dicat: Benedictus qui venit  
 in nomine Domini.



## NOTÆ.

I.

**E** Cce ego mitto.) Considera ines-  
 fabilem DEI bonitatem erga suos.  
 quod



quod cum sciret se & suos multa passuros, tamen & ipsum cum ipsis predicare perrexisse; ut discas non despondere animum, licet multa mala experiaris, si doceas.

## II.

**V**olui congregare filios.) Considera incredibilem charitatem, quod vocet filios, licet hostes essent; ut discas omnes subditos etiam malos amare.

## III.

**D**omus relinquetur deserta.) Considera Dei iram etiam in malorum posteris; ut discas vel ob eam abstinere à peccatis.



## CASUS.

An ministri Ecclesiae & Scholae teneantur se sistere coram magistratu politico?

**N**on videtur: 1. Quia Christus ipse coram Caipha accusatus fuit, Marc. 14, 53.

E 3

2. Quia



2. *Quia jura volunt ne sint subjecti jurisdictioni Laicorum c.) c. 12. X. de foro competent. adeò ut si Imperator velit contra Clericum judicare, non possit, Decian. lib. 4. c. 9. n. 18. quoniam à seculari Ictione exempti sunt Gloss. in c. Imperator. d. 96. Authent. Friderici. C. ne filius pro patre. Nec facile impugnandum quòd universus populus Romanus, & Imperatores sanxerunt, eruditissimi probarunt, ait Decianus. Quin nec Clericus renunciare potest foro suo. c. Si diligenti ibi Kling.*

*Contra: 1. Christus hic prædicit fore ut condemnentur, ipse etiam ad Pilatum: non haberes potestatem, nisi data de super Joh. 19, 1). Paulus seculari Ictioni se submittit Act. 25. 21.*

2. *Omnis anima subdita esse debet Rom. 13, 1.*

3. *Farinacius etiam probat q. 8. n. 2. Duarenus ad titulum de judiciis. Boer. decil. 69. n. 1.*

4. *Quia uti Synedria Judæorum, ita*



ita Christianorum Presbyteria neq̄ in cau-  
 sis civilibus, neq̄ criminalibus jurisdic-  
 tionem habuerunt, uti Scip. Gent. l. 3. de ju-  
 risd. 3. ostendit. Et, l. 33. l. 36. §. fin. C.  
 de Episc. & Cler. constat Clericos coram  
 seculari iudice conventos fuisse, nec un-  
 quam, nisi consentiente aētoꝛe coram Epi-  
 scopo respondisse l. 25. C. eod. usq̄ dum  
 Justin. Novel. 83. & 123. c. 21. aliter con-  
 stituit. Sic Aaron subiectus Mosi Exod. 22,  
 23. Num. 12. 11. & Moses præscripsit man-  
 data Exod. 19, 22. Vide R. l. de 1538. §.  
 Und sollen die Priester. c. Aridan. c.  
 in synodo dist. 63. Paurmeist. lib. 1. de  
 Jctione c. 24. n. 14. Didac. Covarruv.  
 qq. c. 31. n. 2. Museul. l. de anomal. suc-  
 cess. class. 1. m. 2. concl. 8. lit. a. n. 177.  
 Reinking. lib. 1. cl. 2. n. 16. & seqq. Ger-  
 hardus LL. de magistra. n. 440. Meif.  
 par. 3. Sobr. phil. s. 2. c. 3. q. 1. p. 993.

Ad Contraria: 1. Fall. causa. Facti  
 fuit, non juris; & olim, modo mutata Resp.  
 etiam mutatas leges habet.

2. Fall. sec. quid. Distinguende sunt  
 cause,



*causa, si sunt criminales, pertinent ad magistratū politicum, si se clericus immiscuerit habitu clericali deposito atrocib⁹ delictis & in tali habitu in flagranti scelere repertus. c. 23. X. de sent. excom. Deci. d. c. 9. n. 88. Farin. d. q. 8. n. 53. Etiam si potestas Ecclesiastica deficiat in defectu laicus etiam punire potest. c. principes secul. 23. q. 5. c. filiis. 16. q. 7. In civilibus est idem; sed in spiritualibus diversum, de quibus hodie apud Consistoria judicatur; quamvis Riemer. decad. 2. q. 3. diversum sentiat. Nam si propterea causa spiritualis, quia conscientiam concernit, etiam usurae, & pacta conscientiam requirunt. & sic essent cause spirituales, quod tamen nemo statuit. Ita etiam statuunt Franciscus Victoria de potest. Eccles. relect. 1. q. ult. Dominicus à Soto in 4. dist. 25. q. 2. ar. 2. Modina de restitut. q. 15. Covarruv. in lib. practicar. qq. c. 31. Addatur Arnis. de subjectione & exemptione. cleric. c. 2 & 3. Nec dicuntur oves auditores respectu ministrorum, sed Christi. praeterea etiam magistratus politicus minister Dei. ROM. 13. 4.*



**R**oma lupum venerata suum, dum  
nutrit ortus

Ipsa sui patrem. Nominis inde decus.

Sed lupus occidit. Solymēia facta sequuntur

Illius ingenium, Christus ut ista docet.

Quando refert: Ad vos sapientes mitto

Prophetas

Et Scribas. Vos at tollitis hosce nece.

Vos super ut veniat Zachariae sanguis, Abelis

Sanguis, & omnis; ut est fusus in urbe  
sacrā.

Næ dico vobis: venient hæc omnia certè

Vos super & vestrum, quin super omne  
genus.

O Solyme, Solyme, lapidansque necansque Pro-  
phetas,

Te, gallina velut, congrego, nolle soles.

Ecce domus vobis deserta relinquitur, unā

Et locus inversus, rudera sola manent.

Hoc dico: non me cernetis ad usque canatis:

Qui venit in Domini nomine, salvus  
adeſt.

Talia nunc repetit quoque WOLFFIUS: Ergo  
futurum

Si pergit, lupus ut sit vel amicus ovi.

precatur

GUEINZIUS.



Per angusta ad augusta.

**S**ic, *Auguste* pios, *velut Augustissimus* infir;  
*Sors angusta* capit, *mors male* *justa*  
*rapit.*

*Quippe per angustam portam transire beandis*  
*Convenit augusti domata in ampla poli.*

*Testis erit Stephanus saxorum pondere verè*  
*Augustus factus, ceu monet ista dies.*

*Testis Apostolicus nobis erit undique, quin &*  
*Fatidicus, Sophicus, Grammaticusq; cho-*  
*Casibus angustis hi sepè fuère voluti, (rus.*

*Nunc at in angustis sunt sine fine plagis.*

*Post angusta via splendent augusta locorum,*  
*Nubibus ut pulsus clarus Apollo micat.*

*Hoc infige tua magno conamine menti,*

*Ingenium qui jam prodis, Amice, tuum.*

*Augustus qui nunc angustus forte an audis,*

*Augustum angustum te fore, crede mihi.*

*Augustis modo cede minùs, sed fide supremo*

*Augusto, Augustus deniq; tristis eris.*

καυδα γωγίας ἐβεναι

f.

M. Michael Heller past.

Xenodoch. & adjunct.

Maurit.



02 A 572  
(1/2)

ULB Halle 3  
003 808 483



VΦ 17




EVANG.

CHRIST.

HALLS

Q2 C





B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

VITIARUM  
GELICARUM  
TIVALIUM  
*isquisitio III.*  
PRÆSIDE  
NO GUEINZIO  
nasilii Hallensis  
Rectore  
*spondente*  
TO WOLFFIO  
bergâ-Misnico,  
*esto Stephani.*  
R. cl. l. c. III.  
SAXONUM.  
*edum Melchioris*  
*elschlegely.*

